ORATIO IN FVNERE POMPEII MANGIONII

Vtriusq; Signaturæ Decani.


AVCTORE

HYACINTHO HVRANDO ROMANO

E SOCIETATE IESV.

Ab eodem Habita Romæ in Templo Domus Professæ eiusdem Societatis Anno Domini. 1635.





ROMAE, Apud Paulum Masottum. M.DC.XXXV.

Superiorum Permissu.

EMINENTISSIMO PRINCIPI BERLINGHERIO CARD. GESSIO Signaturę Iustitię Pręfecto.




HYACINTHVS HVRANDVS F.



VSTITIAE simulacro, quod Florentiæ in celso colūnę vertice Cosmus Mediceus Magnus Ætruriæ Dux collocauerat, illusisse quendam ferunt, quod sublimitate situs obuias Iustitia manus effugeret, ac veluti appositis alis iterū Astręa reuerteretur in Cœlū. Ca ni de me fabulam pertimescerē, quod Iustitiæ laudes in Illustrissimo Præsule Pompeio Mangionio prosecutus, eam quasi ad Phidiæ columnam euexerim, & vna cum illo in æternitatis olympo constitu-

erim; nisi ab hac me nota tu ipse vindi-
cares (Eminentissime Princeps) qui Gi-
gantæam manum magnorum operum
molitricem ad iustitiam quouis in fasti-
gio sitam tractandam admoues, eiusq. si-
gnaturæ Præfectus Romanæ æquitatis
iura moderaris, ac libras. Quin potius
ideo in Pompeio euecta est Iustitia, vt
tuæ Dignitatis culmen attingeret, vt te
post Patronum suum vita defunctum,
Tutorem agnosceret, eamq. tu purpura
tegeres, aleres sapientia, constantia pro-
pugnares. Tantum deniq; tibi Iustitia
debet, vt quæ alios Reges facit, per te re-
gnare didicerit. Vale.



-140

ORATIO.

EXTINCTVM ordinis veſtri lumen (Illuſtriſſimi Præſules) accenſæ ferales faces teſtantur, quemadmodum nocturnum occidui ſolis funus atrati minores ignes proſequuntur. Ciuilis literaturæ iubar funeſtiſſimæ mortis occaſu tumulatum nox iſta decet mæroris, ac luctus; & quoniam forenſis eloquentię Mercurius obmuteſcit, iure vocibus indicto iuſtitio, in huius ſilentij mæſtiſſimo penetrali regnat Harpocrates. Apex ille ciuilium ingeniorum Pompeius Mangionius, cuius virtutis, ac ſapientię riuuli per aulæ Romanæ tractus in glorię ac famae oceanum ſe diffuderāt, acerbiſſimæ mortis procella, decumano quaſi fluctu perculſus ad hunc ſpectabilem luctum, & ſpectaculū luctuoſum veluti ad ſcopulum adhæreſcit. O infœlicem humanæ fœlicitatis cataſtrophē! ò læthale publicæ calamitatis proſcæniū! ò in Romani iuris caſtris verè Cannenſem cladem puro ſapientiæ cruore fluentem! Huius ego deplorandæ iacturæ prouinciam iuſſu veſtro ſuſcepi, vt dum ego funebri laude æquiſſimo publicæ Iuſtitiæ propugnatori iuſta perſoluo, vos iuſti ſignificatione doloris ciuilis beatitatis parenti optimo parentetis; atq; ita vocis ego adhibeam, vos cordis eloquentiam; linguam ego præferā, vos oculos oratores. Verum vt exuberantem dicendi materiam in breues anguſtias cogam, faciam quod ſolertiſſimus olim Pictor feciſſe dicitur, qui vt vaſtiſſi-

melius sub aspectum daret, Satyrum illi apposuit, qui oblongo thyrso pedis ipsius pollicẽ metiebatur; ità ego, dum viri claritudine generis, sapientiæ præstantia, celebritate famæ, virtutis existimatione pollentis memoriam funesta laudatione commendo, vnius Institiæ habita ratione, cuius Signaturæ antiquissimus Præsul à suffragijs fuit, ostendam, iustissimum fuisse ipsum vitæ, ac rationum suarum moderatorem, æquissimum publicæ iustitiæ Iudicem, restissimum Dei optimi maximi debitorem; ex qua vna virtutẽ facile fieri possit de cæteris coniectura.

Ortus est Pompeius perillustri familia, & longa atauorum serie clarissima; nam licet satius sit (vt ait ille) nouam sibi parere nobilitatem, quam acceptã corrumpere, magnum tamen suis laudibus cumulum auget, qui maiorum imagines erigens, firmat suas. Licet multum admirationis pariat, ex infimis incrementis veluti è tenebris in lucem dignitatis emergere, si quis tamen in illustrium auorum instituta, ac mores abeat, per fœlicitatis cõpendium grassatur ad gloriam, satis amplis doctoribus instructus maioribus suis. Licet ignauus hæres videatur, qui parentes nobilitate conspicuos, & genus inclitum iactat, gloriosum tamen est per vestigia patriç virtutis decurrere, & sicut generi, ita magnitudini auorum succedere. Licet ingenium illud Galbæ malè habitans censeat, generari ac nasci à Principibus fortuitum esse, & in nobilitatis familiã omnes integro famæ iudicio adoptari, magna tamẽ laudis commendatione celebrandum, qui in auiti sole splendoris virtutis, ac gloriæ præferat facem, ipsa solis luce luculentius appareat. Patriam

vrbem Crotonem habuit vetus illud Pytthagorę domicilium,ſed eò recenti hoc Pytthagora clariorem,quò illum hoſpitem à Græcis accepit,hunc ciuem exteris dedit. Ex hac ipſe palæſtra nouus Milo progreſſus non cum Athletis luctatus eſt, ſed ingenij neruis ad glorię faſtigium eluctatus famæ ſuę faſtos glorioſis ſudoribus exarauit. Prima enim iuuentæ face, in cuius luce acerrimis velitationibus exercētur ingenia Neapoli ſapientiæ myſterijs initiatus, in iuris vtriuſq; ſtadio non indecorum puluerem curriculo mentis collegit, ea ſedulitate, vt quoniam æternum ſapientiæ cum ſilentio fœdus eſt,in alto,pinguiq;receſſuſſe ſtudijs aſſereret;ea conſtantia,vt diurno labori nocturnas vigilias addēs Cleanthis ſole fugaret tenebras, quas tamen ſatis ingenij ſui radijs illuſtrabat: ea celeritate, vt veluti regia Babilonis Spina quo die ſeritur,eodem germinat,aut more fulminis,quod vno,eodemq;momento venit,percuſſit, abſceſſit,vix in ſapientiæ caſtra venerit, vix bonarum artium vexilla latè vibrantia viderit, cum victor euaderet: ea demum fœlicitate,vt vtriuſque iuris gazas omnes, omnes numeros,omnemq. copiam poſſideret. Ita nempè iuſtiſſimus ſui rector, ac moderator,voluptatum illecebris;quibus ætas illa titillari ſolet profligatis,ac perditis, florentes annos in Innocentiæ templo ad aram ſapientiæ conſecrabat,cui nunquam ſacrificabat votis, quin litaret ingenio. Etiam nunc mente,& cogitatione perſpicio aliquem ex hac ipſa familia exemplum prudentię veteris,imaginem antiquitatis,qui ratione,conſilio,pręceptis iuuentam eius fouebat,ita florentem iuuenem ad glorioſa impuliſſe facinora & ſponte currenti veluti ad-

mouisse calcaria. Cur nobiliorem vitę partem domestico puluere inuoluis? non annos illos in numerato habeas, quibus vita destruitur, sed quibus extruitur gloria. Instandum initijs est, ac certò scias, prout prima cesserint fore vniuersa; ingenia enim veluti flores tamdiu grata, quamdiu noua, ac recentia sunt: vbi senueris, vix inter ætatis niues gloriæ facem accendas. Nec tibi in arcto, & inglorius labor. Romam, nempè (vt ille cecinit) ad orbis illam Dominam, Deamq; terrarum proficiscendum est; vbi suo veluti in theatro optimè gestum agit ingenium; vbi, natiuo quasi reuulsę solo arbores, dulciores parere mens fructus solet. Exulat in vrbe patria, qui patriā tanto auspicio nō deserit; hic in auitis laribus plerumq; abruptis verecundiæ frenis, in petulantiā & audaciā erūpit malè dispēsata libertas; Romæ ille animi liber est qui suam sapientiæ mancipat libertatem; hic vexato per luxum, & ambitionem patrimonio, per scelera suppletur: ibi in ciuilium agrorum ęquore quæstuosę fluctuant litigiorum fruges, quas industrius quisque quò plus frequentat, hoc minus suis opibus naufragium timet. In hisce studijs solertissimus esto faber fortunæ tuæ: multi enim magnitudine rerum ad meliora excitātur, & libet primæ spes in arduo, vbi sis ingressus, aderunt studia, & ministri. Neq; vero inæscatorem diuitiarum, nummorum inuncatorem, aut euerriculum te cupio: scio fortunæ vomitum aurum esse, ideòq; dictam pecuniam, quia pecudum bonum est; & plerumq; diuitiarum expectatio inter causas domesticæ paupertatis adscribitur. Optas dignam tuorum metam votorū exponam? vnius sapientiæ studiosus esto, cuius laurus inopiæ fulmina

minimè pertimeſcit: Veram ſectare gloriam, cuius cupido etiam ſapientibus nouiſſima exuitur: veluti tener aquilarum fœtus honorum, ac dignitatis ſolem citò intuere; haud enim digne poteſt in dignitate viuere, qui viuere diu poteſt ſine dignitate. Opes, ſpecioſa illa cordis ſupplicia contemne, quę enim illorum fœlicitas, qui forenſis facundię clamoſa iurgia vendunt, & verba locant & iras? non aurea pluuia expugnatur turres, in quibus æquitas agit excubias. Auri ſplendor nitorque gemmarum nimium, vt ita dicam, lubricus aſpici venales illos capiũt animos, qui citò pereunt ſi emptorẽ inuenerint. Vix vnquam auri fulgor illuxit, quẽ ſcelerũ vmbra nõ cõſequatur; adeò coniuncta sũt proponi pręmiũ & exponi iuſtitiam; Quã ſi ſarctã, tectãq; cõſeruare cupis memineris neceſſe eſt nõ habere infrà clientes ingeniũ, quibus inpublicæ iuſtitię fundo nihil cum Iudice commune habendum eſt. Sapiẽs eris, ſi pręcipua rerũ ad famam diriges; cuius contemptor in priuatis laribus ſine fama, in Republica infamis, clarior eſſet, ſi fuiſſet obſcurior. Macte animis generoſe adoleſcens; talem exhibete, qualem maiorum tuorum imagines, qualem tuorum ciuium vota, qualem iſthęc indoles ingenij tui pollicentur. Talibus exornatus pręceptis Pompeius Romam aduolat, vt nimirum in ipſo terrarum orbis capite coronã quęreret ſapientiæ. & in hoc totius ferè vniuerſitatis emporio quaſi ſpectaculo expoſitus tyrocinium poneret publicæ lucis. Sed non ante tot ſpectantibus Roſcijs geſtum agere eſt auſus, quam apud erudițiſſimos viros diuturno labore grauioribus ſtudijs operam elocaret, tanta (vt fertur) diſcendi cupiditate, vt in viri prin-

cipis bibliotheca,veluti in arena virtutis ſine miſſione decertans per iocum ab amicis Aeneus cum Dydimo, Adamantius cum Origene diceretur. Hic ipſius autem viſa eſt fortuna peruellere,Leonem eo nomine vndecimum Pompeio amicum in paucis ad triplicis regni faſtigium extollens, à quo ſtatim in aulam accitus, & ad curarum,ac dignitatis partem ſeruatus mira verſare poterat animo futuræ potentiæ rudimenta.Nullum tamen gloriæ culmen,vt poetarum Olimpus, extra ventorum rabiem ponitur: infœlici enim Leonis morte ab axe felicitatis excuſſus, in eius rogo ipſi quodammodo fortunæ erubeſcendo,veluti in veritatis oraculo didicit, quod olim ſenſerat Cato,fœlicius eſſe honores promereri quã adipiſci. At vero vir egregie cordatus, gnarus vitreã eſſe fortunã,quæ cum ſplendet,frangitur,ita in aulæ tropicis verſabatur, vt à græculis adulationibus procul eſſet,calamitatum oneri, quaſi cœlo Atlas ſuccederet,non ſuccũberet; nec vnquam ab afflicta alicuius amicitia confugeret, vt ad florentem aliam deuolaret. Imo cum olim à multis repudiatus, non ſubleuatus ab amicis, ab æmulis agitatus,atq; perterritus inter breuia,ac ſyrtes aduerſæ fortunę,inter calamitatum Scyllas,atq; Charybdes iactatus ad procelloſa ſaxa deuolueretur, tamen inter tot animi tempeſtates,ac turbines videbatur veluti in pacato æquore,puroq; malacia velificari. Conſtans,& libens excipiebat iniurias, tamquam prouirili portione donaret hoſtibus innocentiam, potiorem ducens commendationem ex iniuria, quam odium ex inuidia. Quod totum ſuam in gloriam ceſſit: nam is tantum dignus,qui ad ſumma vehatur,qui & nouit modica tolerare; qua

breui effecit arte, vt maneret hostibus si nō ipsius amor, certè odium sui. Cæterum vir honestis artibus copiosus multorum amicitias fouebat; ingenium illi acre, sed in loco: argutum, sed docile: vehemens, sed compositum: sedatum, come, iucūdum, horarum omnium. Qua veluti Suadæ medulla imbutus omnium sibi animos cōciliabat. Quid ego hic illum cōmemorē, domi suæ hospitalitios lares amicis omnibus aperuisse? Quid in dulci illo hilaritatis seminario geniali gaudio à doctissimis viris agitata symposia, in quibus erudito luxu soluti non tam lautas epulas, quam sapientiæ fercula dapinarent. & licet Circe illa non tam vultuum, quam cordium perturbatrix fortuna ex eius amicis nonneminem ad terram afflixerit, ostendit tamen constantissimus vir, amicum se, nō amici sortem fouere. Et nullo quidem certiore argumento comprobauit, virum se summiæ quidem esse, sed calamitosæ virtutis, quam quod censu perparcus, pecuniæ modicus, breuisq; marsupio, eodem patrimonio mortem obierit, quo vitam incæperat, vt ostenderet æquissimus vitæ rectè instituendæ magister, non semper ingenij volatum iniquo inopię pondere labefactari: sapientiam vtpotè mortalitatis expertem iure suo nuptias cum hominibus contrahere sine dote; se demum magis publicę luci, quam priuato lucro studentem mentem suam non auro coronasse, sed lauro. Impellebāt doctissimi viri pectus, & appositis veluti facibus inflammabant sanctorum Patrum, quorum vestigijs insistebat, exempla, & doctrina, apud quos ea frequēter iactata non tam inopiæ solatia, quam sapientiæ rudimenta, eam esse sapienter viuendi cōditionem, vt non aliter homo sapiat,

quam si discat egere. Soluerat à Patriæ vrbis portu Pompeius, amplissimum sapientiæ pelagus emensurus; at diuitē hominem nauim nimio onere oppressam dixit Nazianzenus. Animi tranquillitatem, cordisq; malaciam in studiorum recessu amabat; at fluctuantis animi tempestatem diuitias nominat Augustinus. Per amænos literarum hortulos spatiari vnicè habebat in votis; sed opes cupiditatis compedes appellat Zeno. Quid sapienti libertate dulcius? & tamē Diues naturæ carcer vocatur à Chrysologo. Quid sordido dominorum cultu à viro bonis artibus expolito alienius? & tamen pecunias animi tyrannidem exercere ore planè aureo pronunciauit Chrysosthomus. Quid habet sapientia cum insania commune? & tamen habendi studium stultitiæ genus vocat Valerianus. Vitæ cādor, ac integritas morum sapientem decet, Auarus diues quid nisi sordidum marsupium est apud Clementem Alexandrinum? Ars literaria sobrietatem docet: cogendæ peccuniæ sitim turpem animæ temulentiam definit Isidorus. illa virtutum nitorem affert: hæc vitiorū abscessum, ac vomicam appellat Nyssenus; illa sapientem animum recreat, hæc inexhausto cupiditatis incendio adurit, vt magnus censet Gregorius. Circumstabant illum veterum authoritates sapientum, qui vel per fortunarum omnium contemptum aditum sibi aperuerunt ad studia literarū, vel ideò literas sectati sunt, vt opes contemnere docerentur. Annon Cleanthes Assius puteorum haustu sapientiam alens; Eudoxus è transtris remigum se quotidie conferens ad Platonem; Næuius in carcerum sordibus dicendi libertatem non deserens; in pistrino Plautus non tam. truia-

tiles molis, quam versatile ingenium circumducens, Epictetus tugurioli inquilinus, Diogenes dolioli habitator à sordido lucrandi studio reuocarent sapientiæ candidatum? Didicerat Pompeius congerendæ pecuniæ spem cũ Crate Thebano demergere, ne in ignauiæ fluctibus mergeretur: cum Abderite Democrito patrimonium vexare, vt ditiorem sibi pareret bonarum artium hæreditatem, cum Anthistene clientibus non subesse, vt in sapientiæ patrocinium adoptaretur: cum Demonacte libenter esurire, vt opiparo doctrinarum conuiuio vesceretur: quæstuosas artes cum Biante deserere, vt sapientiæ censu diues omnia bona suà secum ferret. Nouerat demum futurus publicæ iustitiæ administrator, sacram auri famem appellari naturæ priuignam ab Aristotele, à Platone malorum æscam, vitiorum ministram ab Isocrate, à Democrate infamiæ notam, ignauiæ fomentum à Hierace, à Plutarcho maximum reipublicæ morbum, ac funestissimæ parentem inuidiæ: Nouerat diuitias ac copias disciplinæ, ingenij, ac probitatis profligatrices à Salustio dictas, onera, ac sarcinas viatorum à Curtio, thesaurum malorum, & calamitatis viaticum à Chilone, ab Anacreonte oculorum excubias, à Romano Pindaro summi mali materiem, ab Ausonio curarum semina, auaritiæ comites, voluptatum nutrices, Romani imperij non tam prædã, quã venatrices à Liuio à Lucio Floro ciuilium bellorum furias, quę ciues in patriæ exitiũ furialibus obarmant facibus, publicorum populatrices morum, ciuilis beatitatis inimicas, pietatis, ac religionis turbines, procellam, scopulum, euripum, naufragium virtutum omnium. Nouerat demum, nimiam

lucrandi cupidinem à Philoſophorum Principe fœlicem amentiam nominari,quæ nimirum ſæuit,ac placet, mẽtis bona peſſundat,& diligitur, vires eneruat, & ſtudiosè conquiritur,funeſtiſſimo exituanimum cõficit, & impotenter adamatur,blandè pungit affligit molliter,leuiter violat, ſuauiter vulnerat, iucundè lacerat,amanter occidit.

Iam verò ingrediẽdum nobis eſt publicæ iuſtitiæ religioſiſſimum auguſtale,& contemplanda in primis ipſa Iuſtitiæ forma,quemadmodũ eamChryſippus grafice colorauit,ſpecie, ac filo virginali, aſpectu vehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, neq; humilis,neq; atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate. Illius aris victimas immolare veſtrum eſt (Illuſtriſs. Præſules)qui eius ſignaturæ Conſcripti Patres virtutem illam colitis, per quam omnium animi ad publicæ fœlicitatis ſtipendia ſollicitantur;illam, quæ & Regina virtutũ,& virtus tantum eſt Regum;Nam etiam imbelli Lucretiæ dexteræ gladium obtulit fortitudo, qui liberum Brutum,vel atrocem Catonis animum decuiſſet: etiam Artaxerſis Ruſticum paucis aquæ guttulis liberalitas honeſtauit, etiam in ſuburbano prædiolo, & male materiata Fabritij domo hoſpitalitios lares ſibi Fides aperuit: & inagreſti ac ſordido Albini plauſtro, non in Aemilianorum curru viſa eſt triumphareReligio.vna Iuſtitia vulgaria capita, ac populares domos indignata, ſolũ dominantium eſt virtus, quæ nimirum aut homines Reges facit,aut Reges (vt ſcribit Sæneca) conſtituit Deos.Vos inquam illius virtutis cultores eſtis,per quam ſoletis in omnium oculis ferri,in omnium animis habi-

 146

tate;cum enim Plutarcho teste tria in magnatibus sint conspicua Fœlicitas,Potẽtia,Iustitia, Fœlicitatem admiratione,veneratione,ac cultu Potentiam,Iustitiam amore cõpensamus.Cur enim mirabiles vestri amores non excitetis per quos ad potentiorum limina excubantem cernimus veritatem? Qui vos in misericordes parentes, & iustos Iudices diuidentes Thebana veluti simulacra clausis oculis, & sine manibus æquitatis iura decernitis qui aureo Cõstantini sæculo renouato clientes vestros largitionibus, ac precibus sordidis exolutos dimittitis sine impendio, quod ante paucis euenit, sine labore, quod nunquam, sine petitione quod nemini. Quem Athenarum Areopagum, quam Delphicam cortinam, quod Sibillarum Sacrarium huic amplissimo consessui prætulerim, quilicet corpus multorum capitum, vnum tamen conspirauit in cor, cum sapientissimis Pompeij consilijs regeretur. Ipse enim in vestri senatus album adscriptus, & ætatis prærogatiua primi suffragij dignitate donatus,quia æquè, vero circumfertur adagio Magistratus virum indicat,ac vir Magistratum ornat,honores ita gessit,vt ornamentum non accipere,sed dare ipsi dignitati videretur. Suberat ingenij vigor ingentibus negotijs par,quo ita res omnes confecit, vt quod de Augusto testatur Dio, viros omnes constantia,senes omnes prudentia superauerit; in alloquio blandus, in negotio sollicitus, in iudicio iustus byssina verba,ac succiplena adhibebat,sententias crebras,interrogationes acutas, sensus altos,quib⁹ Gordios causarũ nodos tãgeret detegeret exolueret. Quæ illi (Deus immortalis) in dicendo libertas,cũ veluti Præco sua de lapide,vel catasta mancipia

vendens morbosas causarũ cicatrices,& male sanas clausulas censoria virgula denotaret? Quis publicarum actor causarũ nõ siluit,cum hęc forensis eloquentiæ tuba detonuit? Annon omnes illi loco cedebant,cum eorum sententijs Apparitor occurrebat ingens,& longius etiam submouebat ingenij fascibus? Annon cæteri etiam causarum patroni ipsum adibant tanquam Apollinis oraculum, vel sybillinos codices consulturi? Nonne vobis cernere oculis videmini (Præsules Illustrissimi) acerrimum hunc publicæ iustitiæ defensorem, vltorem iniuriarum, ac iuris cognitorem veluti omnes auctoritates, ac leges in vocibus gereret,ac viribus suis,arduas,& scopulosas causas, ac ingeniorum famosas naufragijs pertractare? res ordine varias,significatione difficiles, multitudine innumerabiles momento temporis complecti animo,acris iudicij maturitate librare, clarissimis ingenij luminibus tempestiue distinguere,oratione exponere,& voce,& viribus sustinere; ceruicosos vero animos,ac refractarios opprimere consilio,artificio peruertere,ingenio labefactare, aduersariorum iactare artes, sophismata eludere,conclusiunculas infirmare; adeo vt ad eius vocem vel quasi reuelata Persei parma omnium ora silentio lapidescerent, vel lapidea corda mollirẽtur. Certè si Roma vniuersa vna voce loqueretur, vltro profiteretur,Romanam iustitiam maiestati suæ parem habuisse Pompeium; Triumphorum omnium lauream, quæ veteres olim Imperatores honestauit tanto maiorem vni deberi Pompeio, quò plus est Romanæ Iustitiæ terminos promouere,quam regni; facilius demum fuisse ab Hercule clauam extorquere de manibus,quam

à Pompeio vnius causæ cum dignitate victoriam. Longum esset per omnia volitare, vnum laureato curru, ac lemniscata palma dignum videtur, quod omittere piaculum censeo. Iacebat aliquando Pompeius perditissima valetudine lecto affixus adeò fractis, & exhaustis viribus, vt animam potius trahere, quam vitam ducere videretur; eius cum forte aures verberat, grauissimam causam Iustitiæ suffragijs agitatam, quam ipse æquissimam iudicabat; suo destitutam patrocinio, ruere continéter ad salebras. Quid faceret iustissimus Presul? hinc laborantis corpusculi afflictabatur incommodis, hinc æquitatis periculo ægrius laborabat. Subtraheret nè corpus à vitæ discrimine, incertumq. relinqueret, quid viso Pompeio decerneretur in Curia? an vultum Patres, & spiritus, libertatemq. dicentis aspicerent: audirent eius voces quasi ex aliquo oraculo suprahumanas, contemplarentur ipsum voce, vultu, oculis ardescere Iustitiæ propugnatorem? Vicit Iustitia: statim enim quasi Annibal esset ad portas, aut de Pyrri pace ageretur nouus Appius è toro surgit; currum ascendit, in quo nimirum vel ipse de communi viuendi cupidine; vel de ipso Iustitia triumpharet. ò spectaculum admirabile! & Pópeius Mangionius, & Presulis dignitate conspicuus, & aduersa valetudine conflictatus laxatis essedorum habenis quasi ad Olimpię metá peruolat ad tribunal. Vidisses in exangui illo silicernio strigosam faciem trepidanti pallore suffusam; cadauerosa macie depressas genas, ac penè collabentes, frontem perfrigido manantem sudore, liuentes oculos, ac retrò fugientes; contracta labia, & hiantia nó sine estu pectoris reciprocato per fauces, spi-

latera, labantia genua, & tamen veluti Iustitiam in vale-tudinis naufragio pro tabula haberet, curiam ingreditur, in qua quasi Hercules esset ad Tęnarum omnium plausu excipitur, ac veluti forensis Cæsar sublimis inter omnium læta omina incedens, speciosior ægritudine, ac ipso periculo augustior graui detonans maiestate dicendi æstus in se conceptos effudit. Non mihi vitæ amor (aiebat) Iustitia reipublicæ carior est; sed hanc sua Maiestas defendet, illam libens in exitium offero, ne mea causa ius legum violetur. frustrà ad ęquitatem seruandam vocem hic fatigarem, & latera, nisi in ipso Curię limine abiecta priuata charitate, publicam induissem. Scio nullo hominum metu æquitatis vocem, conscientiam sapientis, libertatem Iudicis abolendam; & quia plura sæpe pecca mus dum demeremur, quam dum offendimus, honestius putabo offendere, quam odisse. Qua sapientia (Iudices) quibus incorruptæ iustitiæ præceptis causa vix audita decernitur? an Reus nulla lege interrogatus dãnabitur? nulla comperendinandi potestas erit? nulla facultas dabitur quiritandi? Iustitiæ patronis aures, oculi, pectora claudenda sunt, ne quo affectu perrumpantur. An vero sinistra erga pauperes interpretatione aspectui consulimus spreta conscientia? at non eorundem est mactare Diuinæ Iustitiæ victimas, & eius alumnos negligere: Æquitatis effigiẽ colere, & viuas spirantesq. eius imagines insectari. An vt supplices habeamus, miseros, ac reos quærimus? at hoc est dominos nõ Iudices esse. An quæ admittere in alijs pudet, nos cõmittere non pudebit? an iisdẽ armis quib⁹ alienũ ius tuemur, violamus nostrũ, & æquitate ab aliorũ manibus seruamus immunem, vt ipsi

di iuſtitiæ errata, qua fiunt: neq.enim mundus duos Soles,nec regnum duos Reges,nec dupplex ſuffragium Iuſtitia patitur. Veritas ipſa ſibi ſol eſt; ipſa ſe omniũ oculis exponit Innocẽtia,nec alieni fauoris illuminari coloribus poſcunt, quæ ſatis Iuſtitiæ pennicillo colorantur, Hæc terrarum eſt Pallas minimè fabuloſa, quæ vel cauſam ſuam ſapienter tuetur,vel pàtrio fulmine vlciſcitur, Eſt profectò Deus:quẽ hancin curiam quaſi per machinam ſæpè euocatum vidi ad iuſtitiæ cauſam propugnãdam, ad humana euertenda conſilia, ad æquitatis leges Diuinæ voluntatis veluti clauo figendàs, & confirmandas. Vos vero Senatus huius lecta decora (Præſules Illuſtrisſimi)qui huius virtutis auctorati ſacramento pietatis aras tetigiſtis, conſulite periclitanti Innocẽtiæ,& quoniam licet miſerrimo cuiq. rogare,ne aures veſtras à iuſtiſſimis precibus auertatis. Quod ego per amoris blãditias, quibus veſtra pectora illexit iuſtitia; per obſequij erga hanc virtutem frequenter nuncupata vota, concepta ſæpius,ſoluta ſemper,nõ tàm precariò peto, aut poſco pro imperio, quam iure poſtulo. Veſtræ profectò curæ incumbit, ne quid reſpublica detrimenti capiat, quam qui ſaluam eſſe vult, meſequatur; mecum causã agoſcat,ſuffragium ſcribat,litem dirimat: idq. prè ceteris nos impellat, quod ęquus Iudex,qui etiam apud feros homines Deus eſt, ſi iuſtitiam deſerit, fera eſſe incipit apud Deum.. Hiſce ſermonibus è prima diſcedentibus opinione Patribus breui effecit,vt omnes ſuam in ſentẽtiam pedibus irent; meritò ciuica; hoc eſt reliquarum honeſtiſſima corona donandus, cũ ad ſeruãdum ciuẽ ſe ipsũ morti deuouerit, è tribunali abſoluto iudicio ad le-

vt ęger festinasse sẽtẽtiã ad opportunã quietẽ videretur?

Venio iam ad tertium Iustitiæ argumentũ,& extremũ orationis meæ, quo se Deo exhibuit Pompeius æquissimum debitorem. Primo ætatis vere integerrimæ pietatis flosculos Deo obtulit; sciebat enim pectus animæ magnæ plenissimum, cæleste simul, & humanã sapientiam inter sola pudoris lilia,& rosas pietatis vernare:sciebat laborum spineta tunc in delicijs esse Deo, cum spinæ in Diuini amoris flores abirẽt,& pretioso veluti muricè purpurascerent: sciebat ingeniosæ, ac floridæ mentis agrũ tunc explicata florentis sapientiæ viriditate vernare,cum vitali diuini solis calore fouetur; cum florulẽtam doctrinarum familiam cęlestiũ aspectu syderũ recreat; cum lætam illam vernantis animi sobolẽ aut cæli Floram facit, aut terrarum Astræam;cũ colorati animorum partus gemino veluti pluuio lactatu viuidum liquorem ebibũt altrice sapientia,nutrice pietate;cũ æstuantes, arentesq, mortalis ingenij flores,qui humanæ imbecillitatis pestilenti veluti sydere afflati ore bibaci cælestibus roribus oscitantur,rorantium guttularum, quas diuinus amor expressit fœlici perẽnitate irrigẽtur. Annis firmior vbi se sacerdotij deuouit infulis, igniculi, quos in corde succenderat,immane,quantum in incendiũ exarserit charitatis. In singulis anni celebritatibus, & die profanæ olim Veneri,nunc pendenti è ligno Numini Sacro, in Larario ad aras operatus, in amoris sacrificiũ cælites deuocabat, & cælestis venator cordis indagine, & spiculis charitatis Deum habebat prædam simul, & victimam. Beatæ Virginis Templũ, cui à Populo nomen, & Sancti Francisci de Paula effigiẽ *singu-*

mente concipere, vel labia vibrare; sæpè erúpere in gemitus, & cor'm lachrymas per oculus eliquare: nimirū religiosissimi cordis sol, vt vberrimā virtutis vindemiam colligeret, autumnabat in Virgine, & ad finem suum Calabriæ Thaumaturgum, dum posita tot curarum sarcina orabat, nouum ipse accedebat, fæliciusq; miraculum. In tanto quippe negotiorum incursu nunquā pietatis clypeum abiecit, & quemadmodū aquæ feculentæ quamuis, & obturbatæ, si per Midæ montem labuntur, aureis flauescunt lapillis, ita res perplexas, & periculosæ plenas aleæ in Pompeij manibus splendescere quodammodo, & enitere vidisses. Summam se forensi gloriæ manum imponere existimabat, cum Iustitiæ famulatricem dexteram ad cœlum tolleret, & quæ publicæ calamum fœlicitatis tractabat, ad precarios globulos percurrendos conuerteret. Inter aulicos versabatur aulicorū vitijs impenetrabilis. Lōgè ab eorum cōsuetudine recedebat, qui spes, & vota sua non ante ad Dei, quā ad Principum aures conferunt, summo scelere per obsequiū; vt nimirū in aulæ fluctibus cordis nauis minimè fluctuaret, quæ veræ germanæq. pietatis anchora fulciretur. Superest extremus vitæ actus, ac veluti triumphale Iustitiæ coronamentum. Graui, mortaliq. morbo iacente iam, prostratoq; corpore penitus exhauriebatur, cum nihil sibi duxit antiquius, quam vt animum labibus expiatum sanctissimo Eucharistiæ ferculo saginaret. Aderat cœlestis Panis, qui illi futurus erat ad æternitatis conuiuium saluberrima prægustatio. Iam Mysta solemnia verba concipiebat, quibus inopiam fatentes suam mortales conuiuæ ad mensam Diuinitatis initiamur, cū Pōpeius

tanta cæleſtis illecebra voluptatis, vt cum verba mixta suſpirijs emitteret, penè cum vocibus animam reciprocaret. Fuit hoc ardentisſimum ieiuni cordis votum, quo Diuinitatis verè Saliari, ac Pontificia cœna veſci cupiebas: fuit teſſera, qua magno æternitatis Imperatori dicturus proximè Sacramentum aditum in cæli caſtra petebas: fuit Epinicium amoris, cuius auſpicio in eo vitæ mortiſq. confinio te in vitali Chriſti pectore tumulares. Attigeras nimirum gloriæ verticem ô Pompei, votorum adeptus eras ſummam; tenebas faſtigium dignitatis, cum in hoc bonorum omnium ærario quæſtuoſo ditatus compendio exultares. Inueneras in opimo hoc diuinæ menſæ conuiuio purpuram illã, vt magnificè teſtatur Ambroſius, quam Purpurarius Artifex Deus ad animas regijs inſignibus conueſtiendas è morientis Chriſti latere velut è cõcha eduxit, longè illa pretioſiorẽ, quam in aulæ Romanæ colo nære ſolet humana fœlicitas. Inueneras aurum, vt aureus pronunciauit orator Chryſoſtomus, quod tibi non in arca palleſceret, ſed fulgeret in corde: aurũ quod priſco vellere glorioſius mille trahit Argonautes ad ſe velificãtium animorum; aurum quod nõ tã dici poſſit ſuis in fodinis terrarũ cor quã in hominũ pectore vita cordium. Inueneras demũ Pharmacũ illud immortalitatis, vt ſanctiſſimè ſcripſit Ignatius, quo effœta, & emoriẽs vita quaſi prælibaret in corpore Diuinitatis illiciũ, delicium æternitatis. Tunc quidẽ etiam cõſtantia pulcher apparuiſti, cũ in lectulo illo, tanquam in ſcæna virtutis res humanas omnes exageráta mente deſpiciebas. Teſtor extremas ad finẽ properantis vitæ voces, quibus tũ animæ magnæ prodigus libentisſimè ſupremum te vitæ diem explere confeſſus es;

O vocem vt triunphantē de morte, sic dignam immortalitate! ò verbum non aureis notis in tēplo famæ, sed in ipso cōstantiæ sinu adamantinis caracteribus cōsignandum! Mirari iam desino, q̄ tam cōstanti pectore publicæ fueris æquitatis assertor, dum tam intrepidè iustus tui Iudex constitutus terræ corpus reddis, animum Deo. Vidisse memini plurimos non te minus iustè viuere, te neminē iustius mori. Romani Pōpeij laudes, cuius æmularis, & nomen, æquasti; ille enī triplicem tū cognitam orbis partē nō tā passibus peragrauit, quā victorijs; tū per triplicis Iustitiæ veluti mūdū vniuersū albis euectus quadrigis triūphas. Emigrasti tu quidē ex hoc mortalitatis ergastulo ò destinatū immortalitati caput, sed viuis adhuc, & melius viuis, qui in tuorū corde quod vitæ sedes est, vitā agis. Viuis in trophæis, ac monimētis sapiētiæ tuæ de quibus nulla vnquā ætas cōticescet; Viuis in Illustrissimi huius consessus memoria, qui munificētissimi funeris apparatu ære publico comparato ita famæ tuæ fauori velificatur, vt nomen tuum melius, quam per odores, & aquilam erumpentem ex funere cōsecretur. Et quidem gloriosū fuerit Bruto inter Romanos; Soloni inter Græcos omnium principes funebri laudatione celebrari, nō indecoro præconio fama cōmmendet Tribunorum aut Centurionum humeris elatos post funus Caium, ac Lucium Cæsares, ab Equitibus Germanicum, à Senatoribus Sullam, à filijs Metellum, ab exterorum Legatis Regum Aemilium, ipsumq. Augustum triūphali porta post mortem euectum. Veterum monimentis, literarū cōsignatam legamus regiā sepulchrorum magnificentiā, qua vel inuita morte superstes fama de temporis iniuria

luctandi cupidinem à Philosophorum Principe fœlicem amentiam nominari, quæ nimirum sæuit, ac placet, mētis bona pessundat, & diligitur, vires eneruat, & studiosè conquiritur, funestissimo exitu animum cōficit, & impotenter adamatur, blandè pungit affligit molliter, leuiter violat, suauiter vulnerat, iucundè lacerat, amanter occidit.

Iam verò ingrediēdum nobis est publicæ iustitiæ religiosissimum augustale, & contemplanda in primis ipsa Iustitiæ forma, quemadmodū eam Chrysippus grafice colorauit, specie, ac filo virginali, aspectu vehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, neq; humilis, neq; atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Illius aris victimas immolare vestrum est (Illustriss. Præsules) qui eius signaturæ Conscripti Patres virtutem illam colitis, per quam omnium animi ad publicæ fœlicitatis stipendia sollicitantur; illam, quæ & Regina virtutū, & virtus tantum est Regum; Nam etiam imbelli Lucretiæ dexteræ gladium obtulit fortitudo, qui liberum Brutum, vel atrocem Catonis animum decuisset: etiam Artaxersis Rusticum paucis aquæ guttulis liberalitas honestauit, etiam in suburbano prædiolo, & male materiata Fabritij domo hospitalitios lares sibi Fides aperuit: & inagresti ac sordido Albini plaustro, non in Aemilianorum curru visa est triumphare Religio. vna Iustitia vulgaria capita, ac populares domos indignata solū dominantium est virtus, quæ nimirum aut homines Reges facit, aut Reges (vt scribit Sæneca) constituit Deos. Vos inquam illius virtutis cultores estis, per quam soletis in omnium oculis ferri, in omnium animis habi-

tate;cum enim Plutarcho teste tria in magnatibus sint conspicua Fœlicitas, Potētia, Iustitia, Fœlicitatem admiratione, veneratione, ac cultu Potentiam, Iustitiam amore cōpensamus. Cur enim mirabiles vestri amores non excitetis per quos ad potentiorum limina excubantem cernimus veritatem? Qui vos in misericordes parentes, & iustos Iudices diuidentes Thebana veluti simulacra clausis oculis, & sine manibus æquitatis iura decernitis qui aureo Cōstantini sæculo renouato clientes vestros largitionibus, ac precibus sordidis exolutos dimittitis sine impendio, quod ante paucis euenit, sine labore, quod nunquam, sine petitione quod nemini. Quem Athenarum Areopagum, quam Delphicam cortinam, quod Sybillarum Sacrarium huic amplissimo consessui pretulerim, quilicet corpus multorum capitum, vnum tamen conspirauit in cor, cum sapientissimis Pompeij consilijs regeretur. Ipse enim in vestri senatus album adscriptus, & ætatis prærogatiua primi suffragij dignitate donatus, quio æquè vero circumfertur adagio Magistratus virum indicat, ac vir Magistratum ornat, hono res ita gessit, vt ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Suberat ingenij vigor ingentibus negotijs par, quo ita res omnes confecit, vt quod de Augusto testatur Dio, viros omnes constantia, senes omnes prudentia superauerit; in alloquio blandus, in negotio sollicitus, in iudicio iustus byssina verba, ac suscipiens adhibebat sententias crebras interrogationes acutas, seu

vendens morbosas causarũ cicatrices,& male sanas clausulas censoria virgula denotaret? Quis publicarum actor causarũ nō siluit,cum hęc forensis eloquentiæ tuba detonuit? Annon omnes illi loco cedebant, cum eorum sententijs Apparitor occurrebat ingens,& longius etiam submouebat ingenij fascibus? Annon cæteri etiam causarum patroni ipsum adibant tanquam Apollinis oraculum, vel sybillinos codices consulturi? Nonne vobis cernere oculis videmini (Præsules Illustrissimi) acerrimum hunc publicæ iustitiæ defensorem, vltorem iniuriarum, ac iuris cognitorem veluti omnes auctoritates, ac leges in vocibus gereret,ac viribus suis,arduas,& scopulosas causas, ac ingeniorum famosas naufragijs pertractare? res ordine varias,significatione difficiles, multitudine innumerabiles momento temporis complecti animo,acris iudicij maturitate librare; clarissimis ingenij luminibus tempestiue distinguere,oratione exponere,& voce,& viribus sustinere; ceruicosos vero animos,ac refractarios opprimere consilio,artifitio peruertere,ingenio labefactare, aduersariorum iactare artes, sophismata eludere,conclusiunculas infirmare; adeo vt ad eius vocem vel quasi reuelata Persei parma omnium ora silentio lapidescerent, vel lapidea corda mollirẽtur. Certè si Roma vniuersa vna voce loqueretur, vltro profiteretur,Romanam iustitiam maiestati suæ parem habuisse Pompeium; Triumphorum omnium lauream, quæ veteres olim Imperatores honestauit tanto maiorem vni deberi Pompeio, quò plus est Romanæ Iustitiæ terminos promouere,quam regni; facilius demum fuisse ab Hercule clauam extorqnere de manibus,quam

à Pompeio vnius causæ cum dignitate victoriam. Longum esset per omnia volitare, vnum laureato curru, ac lemniscata palma dignum videtur; quod omittere piaculum censeo. Iacebat aliquando Pompeius perditissima valetudine lecto affixus adeò fractis, & exhaustis viribus, vt animam potius trahere, quam vitam ducere videretur; eius cum forte aures verberat, grauissimam causam Iustitiæ suffragijs agitatam, quam ipse æquissimam iudicabat; suo destitutam patrocinio, ruere continéter ad salebras. Quid faceret iustissimus Presul? hinc laborantis corpusculi afflictabatur incommodis, hinc æquitatis periculo ægrius laborabat. Subtraheret nè corpus à vitæ discrimine, incertumq. relinqueret, quid viso Pompeio decerneretur in Curia? an vultum Patres, & spiritus, libertatemq. dicentis aspicerent: audirent eius voces quasi ex aliquo oraculo suprahumanas, contemplarentur ipsum voce, vultu, oculis ardéscere Iustitiæ propugnatorem? Vicit Iustitia: statim enim quasi Annibal esset ad portas, aut de Pyrri pace ageretur nouus Appius è toro surgit; currum ascendit, in quo nimirum vel ipse de communi viuendi cupidine; vel de ipso Iustitia triumpharet. ò spectaculum admirabile! & Pompeius Mangionius, & Presulis dignitate conspicuus, &

146

latera, labantia genua, & tamen veluti Iustitiam in valetudinis naufragio pro tabula haberet, curiam ingreditur, in qua quasi Hercules esset ad Tęnarum omnium plausu excipitur, ac veluti forensis Cæsar sublimis inter omnium læta omina incedens, speciosior ægritudine, ac ipso periculo augustior graui detonans maiestate dicendi æstus in se conceptos effudit. Non mihi vitæ amor (aiebat) Iustitia reipublicæ carior est; sed hanc sua Maiestas defendet, illam libens in exitium offero, ne mea causa ius legum violetur. frustrà ad ęquitatem seruandam vocem hic fatigarem, & latera, nisi in ipso Curię limine abiecta priuata charitate, publicam induissem. Scio nullo hominum metu æquitatis vocem, conscientiam sapientis, libertatem Iudicis abolendam; & quia plura sæpe peccamus dum demeremur, quam dum offendimus, honestius putabo offendere, quam odisse. Qua sapientia (Iudices) quibus incorruptæ iustitiæ præceptis causa vix audita decernitur? an Reus nulla lege interrogatus dãnabitur? nulla comperendinandi potestas erit? nulla facultas dabitur quiritandi? Iustitiæ patronis aures, oculi, pectora claudenda sunt, ne quo affectu perrumpantur. An vero sinistra erga pauperes interpretatione aspectui consulimus spreta conscientia? at non eorundem est mactarę Diuinæ Iustitiæ victimas, & eius alumnos negligere: Æquitatis effigiẽ colere, & viuas spirantesq. eius imagines insectari. An vt supplices habeamus, miseros, ac reos quærimus? at hoc est dominos nõ Iudices esse. An quæ admittere in alijs pudet, nos cõmittere non pudebit? an iisdẽ armis quib⁹ alienũ ius tuemur, violamus nostrũ, & æquitate ab aliorũ manibus seruamus immunem, vt ipsi

di iuſtitiæ errata, qua fiunt: neq.enim mundus duos Soles,nec regnum duos Reges,nec dupplex ſuffragium Iuſtitia patitur. Veritas ipſa ſibi ſol eſt; ipſa ſe omniũ oculis exponit Innocẽtia,nec alieni fauoris illuminari coloribus poſcunt, quæ ſatis Iuſtitiæ pennicillo colorantur. Hæc terrarum eſt Pallas minimè fabuloſa, quæ vel cauſam ſuam ſapienter tuetur,vel pàtrio fulmine vlciſcitur. Eſt profectò Deus:quẽ hancin curiam quaſi per machinam ſæpè euocatum vidi ad iuſtitiæ cauſam propugnãdam, ad humana euertenda conſilia, ad æquitatis leges Diuinæ voluntatis veluti clauo figendas, & confirmandas. Vos vero Senatus huius lecta decora (Præſules Illuſtrisſimi)qui huius virtutis auctorati ſacramento pietatis aras tetigiſtis, conſulite periclitanti Innocẽtiæ,& quoniam licet miſerrimo cuiq. rogare,ne aures veſtras à iuſtiſſimis precibus auertatis. Quod ego per amoris blãditias, quibus veſtra pectora illexit iuſtitia; per obſequij erga hanc virtutem frequenter nuncupata vota, concepta ſæpius,ſoluta ſemper,nõ tàm precariò peto, aut poſco pro imperio, quam iure poſtulo. Veſtræ profectò curæ incumbit, ne quid reſpublica detrimenti capiat, quam qui ſaluam eſſe vult, meſequatur; mecum cauſã agoſcat,ſuffragium ſcribat,litem dirimat: idq. prè cete-

vt ęger festinasse sētētiā ad opportunā quietē videretur?

Venio iam ad tertium Iustitiæ argumentū,& extremū orationis meæ, quo se Deo exhibuit Pompeius æquissimum debitorem. Primo ætatis vere integerrimæ pietatis flosculos Deo obtulit; sciebat enim pectus animæ magnæ plenissimum, cæleste simul, & humanā sapientiam inter sola pudoris lilia,& rosas pietatis vernare: sciebat laborum spineta tunc in delicijs esse Deo, cum spinæ in Diuini amoris flores abirēt,& pretioso veluti muricè purpurascerent: sciebat ingeniosæ, ac floridæ mentis agrū tunc explicata florentis sapientiæ viriditate vernare,cum vitali diuini solis calore fouetur; cum florulētam doctrinarum familiam cęlestiū aspectu syderū recreat; cum lætam illam vernantis animi sobolē aut cæli Floram facit, aut terrarum Astræam;cū colorati animorum partus gemino veluti pluuio lactatu viuidum liquorem ebibūt altrice sapientia,nutrice pietate;cū æstuantes, arentesq, mortalis ingenij flores,qui humanæ imbecillitatis pestilenti veluti sydere afflati ore bibaci cælestibus roribus oscitantur,rorantium guttularum, quas diuinus amor expressit fœlici perēnitate irrigētur. Annis firmior vbi se sacerdotij deuouit infulis, igniculi, quos in corde succenderat,immane,quantum in incendiū exarserit charitatis. In singulis anni celebritatibus, & die profanæ olim Veneri,nunc pendenti è ligno Numini Sacro, in Larario ad aras operatus, in amoris sacrificiū cælites deuocabat, & cælestis venator cordis indagine, & spiculis charitatis Deum habebat prædam simul, & victimam. Beatæ Virginis Templū, cui à Populo nomen, & Sancti Francisci de Paula effigiē singu-

merito concipere; vel labia vibrare; ſæpè erũpere in gemitus, & cor'm lachrymas per oculos eliquare: nimirũ religioſiſſimi cordis ſol, vt vberrimã virtutis vindemiam colligeret, autumnabat in Virgine, & ad cinem ſuum Calabriæ Thaumaturgum, dum poſita tot curarum ſarcina orabat, nouum ipſe accedebat, fælíciuſq; miraculum. In tanto quippe negotiorum incurſu nunquã pietatis clypeum abiecit, & quemadmodũ aquæ fęculentę quamuis, & obturbatæ, ſi per Midæ montem labuntur, aureis flaueſcunt lapillis, ita res perplexas, & periculoſæ plenas aleæ in Pompeij manibus ſplendeſcere quodammodo, & enitere vidiſſes. Summam ſe forenſi gloriæ manum imponere exiſtimabat, cum Iuſtitiæ famulatricem dexteram ad cœlum tolleret, & quæ publicæ calamum fœlicitatis tractabat, ad precarios globulos percurrendos conuerteret. Inter aulicos verſabatur aulicorũ vitijs impenetrabilis. Lõgè ab eorum cõſuetudine recedebat, qui ſpes, & vota ſua non ante ad Dei, quã ad Principum aures conferunt, ſummo ſcelere per obſequiũ; vt nimirũ in aulę fluctibus cordis nauis minimè fluctuaret, quæ veræ germanæq; pietatis anchora fulciretur. Supereſt extremus vitæ actus, ac veluti triumphale Iuſtitiæ coronamentum. Graui, mortaliq; morbo iacente iàm, proſtrato corpore penitus exhauriebatur, cum nihil ſibi

tanta cæleſtis illecebra voluptatis, vt cum verba mixta ſuſpirijs emitteret, penè cum vocibus animam reciprocaret. Fuit hoc ardentisſimum ieiuni cordis votum, quo Diuinitatis verè Saliari, ac Pontificia cœna veſci cupiebas: fuit teſſera, qua magno æternitatis Imperatori dicturus proximè Sacramentum aditum in cæli caſtra petebas: fuit Epinicium amoris, cuius auſpicio in eo vitæ mortiſq. confinio te in vitali Chriſti pectore tumulares. Attigeras nimirum gloriæ verticem ô Pompei, votorum adeptus eras ſummam; tenebas faſtigium dignitatis, cum in hoc bonorum omnium ærario quæſtuoſo ditatus compendio exultares. Inueneras in opimo hoc diuinæ menſæ conuiuio purpuram illã, vt magnificè teſtatur Ambroſius, quam Purpurarius Artifex Deus ad animas regijs inſignibus conueſtiendas è morientis Chriſti latere velut è cõcha eduxit, longè illa pretioſiorẽ, quam in aulæ Romanæ colo nære ſolet humana fœlicitas. Inueneras aurum, vt aureus pronunciauit orator Chryſoſtomus, quod tibi non in arca palleſceret, ſed fulgeret in corde: aurũ quod priſco vellere glorioſius mille trahit Argonautes ad ſe velificãtium animorum; aurum quod nõ tã dici poſſit ſuis in fodinis terrarũ cor quã in hominũ pectore vita cordium. Inueneras demũ Pharmacũ illud immortalitatis, vt ſanctiſſimè ſcripſit Ignatius, quo effœta, & emoriẽs vita quaſi prælibaret in corpore Diuinitatis illiciũ, delicium æternitatis. Tunc quidẽ etiam cõſtantia pulcher apparuiſti, cũ in lectulo illo, tanquam in ſcæna virtutis res humanas omnes exageráta mente deſpiciebas. Teſtor extremas ad finẽ properantis vitæ voces, quibus tù animæ magnæ prodigus libentisſimè ſupremum te vitæ diem explere confeſſus es.

O vocem vt triunphantẽ de morte,ſic dignam immortalitate! ò verbum non aureis notis in tẽplo famæ,ſed in ipſo cõſtantiæ ſinu adamantinis caracteribus cõſignandum! Mirari iam deſino, ꝙ tam cõſtanti pectore publicæ fueris æquitatis aſſertor,dum tam intrepidè iuſtus tui Iudex conſtitutus terræ corpus reddis,animum Deo. Vidiſſe memini plurimos non te minus iuſtè viuere,te neminẽ iuſtius mori. Romani Põpeij laudes, cuius ęmularis,& nomen,æquaſti; ille enĩ triplicem tũ cõgnitam orbis partẽ nõ:ã paſſibus peragrauit, quã victorijs; tù per triplicis Iuſtitiæ veluti mũdũ vniuersũ albis euectus quadrigis triũphas. Emigraſti tu quidẽ ex hoc mortalitatis ergaſtulo ò deſtinatũ immortalitati caput, ſed viuis adhuc,& melius viuis, qui in tuorũ corde quod vitæ ſedes eſt,vitã agis. Viuis in trophæis,ac monimẽtis ſapiẽtiæ tuæ de quibus nulla vnquã ætas cõticeſcet;Viuis in Illuſtriſſimi huius conſeſſus memoria, qui munificẽtiſſimi funeris apparatu ære publico comparato ita famæ tuæ fauori velificatur, vt nomen tuum melius,quam per odores,& aquilam erumpentem ex funero cõſecretur. Et quidem glorioſũ fuerit Bruto inter Romanos;Soloni inter Græcos omnium principes ſunebri laudatione celebrari, nõ indecoro præconio fama cõmmendet Tribunorum aut

Traiani columnæ, Adriani arces, Pyramides Nini, & Cariæ Regum erudito labore sudata Mausolea. Enim verò Pompeius etiã ex Illustrissimo hoc ordine Princeps funebri laudatione exceptus est; primus funestam cũpressum cõuertit in laurum; primus post mortem laudatur in templis, qui viuens Dei laudibus de suo pectore templum fecerat. Curatores funeris habuit totidem, quot collegis vsus est in æquitate tuenda: tam illustres, vt veluti faces in hoc funere præeuntes cælestibus astris clariores in Romanæ Purpuræ Sole fulgorem non amittant, & lucem: tam deniq. gratos, suiq; Collegæ memores, vt proprio sumptu comparata funeris pompa suas opes optimi memoriæ Præsulis immolauerint. O si mos ille vigeret ad huc, cum ante vita functorum rogos splendidi familiæ tituli, laureati lemnisci, & vetustissimæ imagines præfulgebãt, quantum decus addidisses huic funeri? Quam amplum dedisses tuæ nobilitatis spectaculũ? Verum hæc minora sunt meritis, & deformis est virtus, quę inani titulorũ ornatu calamistratur. Ipsa sibi virtus laudẽ facit, ac pretiũ. Idq, pre cæteris te cõmẽdat sepulchrale præconiũ; omniũ esse prædicare quę solus tu feceris, paucorũ tecũ facere, quae praedicent vniuersi. Interea vobis (Præsules Illustrissimi) illud in sapientissimi Collegæ morte solatiũ est, quod leuius ferri possit Apollinis vestri iactura, cui tãtæ possunt Pallades subrogari. Collegij vestri currus excusso auriga non redibit ad carceres, in quo aurigandi peritia tot vigent Automedontes. Denum Iustitiæ nauis minime nutabit in fluctibus, dum mortis tempestate Tiphys inuoluitur, vbi ad eius clauum administrandum sapientissimi suppetunt Argonautæ.